



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure  
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu  
Tractatus Canonico-Civilis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadium, 1709**

§. IV. An Religiosi gaudeant privilegio Fori?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61662)

de x. 12. de Sent. excomm. dicatur: dubitationis hujusmodi, an scilicet sit, qui reperitur, Clericus, ad Judicem Ecclesiasticum (quia de re Ecclesiastica & spirituali, vocato tamen Judice seculari, vel alio, cujus interest) cognitio pertinebit. Quam responsionem Pontificiam celebrem esse ait Covarr. c. 33. pract. n. 1. & semper præ oculis habendam, fuisseque à Baldo in L. si qua C. de Ep. & Cler. & alijs maximè commendatam. Mirum profectò est, Guidonem Papæ, Clar. Bonell. aliòsque, ausos fuisse dicere, in tali dubio competentem Judicem esse etiam laicum. Illud concedi posse videtur, quod tradunt Scaccia L. 1. de Judic. c. 11. n. 89. & Farin. cit. q. 8. n. 34. posse Judicem laicum summariam quandam informationem de Clericatu vel habitu clericali sumere, ad eum solum finem, ut reum remittat ad Judicem sacrum; non verò ut pronuntiet, quòd sit vel non sit Clericus, gaudeátque vel non privilegio fori. Complures alias dubitationes de Habitu & Tonfura Clericali quoad privilegium Fori proponit & resolvit Pignatelli tom. 3. consult. 7. ad quem remittendus est Lector: cum præcipua duntaxat eorum, quæ de Foro Competente afferri queunt, non singula (quod immensum foret) hinc persequi fuerit animus.

## §. IV.

*An Religiosi gaudeant Privilegio Fori.*

## SUMMARIUM.

252. Gaudent privilegio Fori Regulares utriusque sexûs.  
 253. Etiam Novitij.  
 254. Nec non Oblati, seu illi, qui se suâque in Religionis approbata servitium transtulerunt.  
 255. Et Fratres ac Sorores Tertij Ordinis S. Francisci, & S. Dominici.  
 256. Eremitæ quoque, si in communitate alicujus Religionis ap-



*probata vivant, aut sub obedientia Prælati Ecclesiastici alicui Ecclesiæ deserviant.*

257. Eodem gaudent Equites Teutonici & Melitenses.

252. Regulares personas, eas videlicet, quæ in aliquo Ordine Religioso ab Ecclesia approbato consuetis votis se obstrinxerunt, gaudere privilegio fori, receptum inter Catholicos dogma est, traditum *C. quanquam de censib. in 6. C. Clericis de immun. Eccl. in 6. Can. 15. & 38. 11. q. 1. Auth. Statuimus. C. de SS. Eccles. Novell. 123. c. 21. L. 36. C. Theod. de Episc. Eccl. & Cleric.* Neque obest, si Ordine aliquo Ecclesiastico insignitæ non sint: nam nihilominus Ecclesiasticæ personæ sunt, quia obsequio Divino specialiter mancipatæ, ut patet ex *C. Duo sunt. 12. q. 1. & Can. si quis suadente. 17. q. 3.* Hinc S. Thom. *in 2. dist. 44. q. 2. a. 2. ad 1. & ibid. S. Bonavent. Richard. & alij dicunt, sub illis Christi verbis ergò liberi sunt filij, non tantum Clericos ordinatos, sed etiam omnes, qui Apostolicam vitam sequuntur, omnia propter Christum relinquentes, comprehendi. Et quidem, uti notat Suar. cit. L. 4. c. 29. n. 8.* illud non perdunt per apostasiam & dimisso habitu Religioso, sicut perdunt Clerici in minoribus constituti & Beneficium non habentes: quia quamdiu votis ligati sunt, manent personæ sacræ & Deo dicatæ. Non obstare *C. 1. de Apost. idem Suarius ostendit l. c.*

253. Quin & Novitios hoc privilegio gaudere, sicut gaudent privilegio canonis juxta *C. religioso §. quamvis. de Sent. excom. in 6.* constans est doctrina tam Canonistarum quàm Legistarum, quos longo ordine recensent Marta *de Jurisd. p. 4. c. 121. n. 24. Tiraq. de retract. lign. §. 1. gloss. 2. n. 2. & Sanchez L. 6. in Decalog. c. 10. n. 10.* uno ferè dissentiente Thoma Trivisiano *L. 2. Decis. Venet. decis. 57. n. 17.* Ratio est: quia religiosæ personæ reputantur, ut patet ex eo, quòd habent privilegium canonis; unde, uti notant DD. quibus hoc posterius privilegium competit, pariter competit illud fori.

254. Eodem gaudent etiam Familiares Religiosorum Ordinum,



dinum, quos Oblatos dicunt, seu illi, qui se suaque in Religionis approbatæ servitium transtulerunt. Ita Tuschus *lit. O. conclus.* 16. Riccius *p. 2. decis.* 88. Peregrin. *L. 6. var. n.* 71. Squillante *de privil. Cleric. c. 7. dub. 1. n.* 43. Barbof. *de potest. Episc. alleg.* 12. *n.* 39. ac alij, & à S. Congreg. Card. declaratum refert Martap. *4. de Jurisd. cent. 2. cas. 113. n.* 37. Hoc tamen non aliter, ut observant Ant. de Marinis *resol.* 114. *n.* 6. ac alij, quàm si translationem illam fecerint per oblationem & dicationem legitimam & expressam, & ita, ut nihil bonorum vel ususfructûs sibi reservârint, nec in sua domo & cum conjuge commorentur, ac perpetuò Religionis serviant, deferantque habitum à secularium habitu distinctum, idque in fraudem Magistratûs secularis seu ad evitandam duntaxat ejus jurisdictionem non fecerint.

255. Idem privilegium competere Fratribus & Sororibus Tertij Ordinis S. Francisci & S. Dominici, contra Cevallos & Curtell. asserunt Suar. *disp. 22. de Censur. sect. 1. n.* 20. Graffis *L. 2. decis. c. 49. n.* 27. Molin. *tr. 3. de Just. disp. 50. n.* 4. Barbof. *l. c. n.* 41. & alij communiter, si quidem in commune vivant, & habitum Tertij Ordinis deferant: quia (etsi propriè Religiosi non sint, nisi tria vota essentialia emittant) Religiosam tamen vitam imitantur. Quin Tusch. *lit. B. concl.* 470. Gratiani *tom. 3. discept. for. c. 413. n.* 38. Rodriq. *tom. 2. qq. regul. q. 65.* Diana *p. 1. tr. 2. resol.* 84. ac alij, id ipsis asserunt, tametsi non in communi, sed in proprijs ædibus vivant. Et quamvis multi id non concedant viris, nisi collegialiter vivant, concedunt tamen feminis, si vitam virginalem vel castam vidualem in manu Superioris Religionis voverint, etiamsi separatae in proprijs ædibus degant. Ita Portell. *v. Tertiarij n.* 7. Piafec. *p. 2. prax. Episc. c. 3. art. 7. n.* 11. Squillante *l. c. c. 7. dub. 1. n.* 42. Marinis *l. c. resolut.* 114. *n.* 11. ac alij, asseruntque hanc in rem declarationem S. Congreg. Card. Cherubin. *tom. 1. Bullar. constit. 22. Leon. X. Schol. 2.* ubi tamen viris id non conceditur, nisi collegialiter vivant.

256. Idem denique juxta Molin. *l. c.* Barbof. *l. c. n.* 42. Rodriq.



driq. tom. 2. q. 62. art. 2. Sanch. L. 6. in Decalog. c. 16. n. 10. Carol. de Grats. de Effect. Cleric. effect. 1. n. 102. aliósque, Eremitis competit, si in communitate alicujus Religionis approbatæ vivant. Imò, ut volunt Marta p. 4. de Jurisd. cent. 2. cas. 213. n. 4. Squillante l. c. c. 7. dub. 1. n. 44. Marinis l. c. c. 114. n. 4. Duard. L. 2. in Bull. Cœn. can. 15. q. 6. n. 2. Laym. L. 1. tr. 5. p. 2. q. 5. n. 4. illo gaudent, tametsi in communitate Religiosa non vivant, modò factò paupertatis voto vel suscepta obligatione apud Episcopum aliúmve Prælatum Eccles. Ordini, vel Ecclesie alicui, habitum Religiosum deferendo ex obligatione deserviant sub obedientia Episcopi vel alterius Prælati.

257. Ex dictis consequens est, gaudere fori privilegio Equites S. Joan. Hierosol. seu Melitenses, & Teutonicos, cum juxta communem DD. sint verè ac propriè dicti Religiosi, quidquid in contrarium dicant Sarmiento, Sotus, ac alij apud Wagnereck in C. 7. de convers. conjug. not. 2. Et quamvis tales in rigore non essent, attamen propter tria vota substantialia Religiosis accenserentur. Neque dubium est, quòd sint personæ Ecclesiasticæ. An idem dicendum sit de alijs Equitibus, ut S. Jacobi Calatravæ & Alcantaræ, S. Benedicti, S. Augustini, S. Lazari &c. controversum est. Affirmant plurimi, quos referunt & sequuntur Barbosa cit. alleg. 12. n. 45. Delbene c. 1. dub. 11. n. 2. & Sperelli decis. 2. n. 97. ubi n. 120. pro hac opinione affert declarationem S. Congreg. Card.

### §. V.

*An Privilegio Fori gaudeant Ecclesia & Clericorum  
Ministri laici, Uxores, ac Liberi.*

#### SUMMARIUM.

258. *Laici Ministri Ecclesiarum & Clericorum non gaudent privilegio Fori.*  
259. *Nisi sint de Familia Episcopi.*